

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii trigesimo mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. XLIII.

M. JACOBO-FRANCISCO LE CHAT DE LA SOURDIERE, Doctore Medico, Præside.

An ubique corporis sanguis idem?

I.



CORPUS humanum, solidis constat & fluidis; ab his illa ortum ducunt. Solida vasis constant innumeris; rectiùs vas dixeris unicum. Vasa tenerrima adhuc indesinenti liquoris per canalem cylindricum, plenum, conicum, ex lato in angustius rectà propulsi impetu, juxtà axim suam elongantur, attenuantur. Interim succus in infinitum propè divisus fibrarum elongatarum interstitia replet; undè incrementum. Cùm verò corpus varium sit & mutabile, effluxu indesinenti teritur, fit continua partium abrasio quæ jugi tanti & talis liquidi

affluxu refarcitur ; hinc nutritio. Horum phænomenωn fontem quæris ? Scrutare potiùs totius corporis humorum omnium fcaturiginem. Præftò erit vivifica illa benignaquè liquidi moles quæ fanguis audit. Hic eft à quo motus pendet, qui fecretionibus materiam fubminiftrat, qui totam microcofmi machinam tuetur, verbo, ab illo fanitas & vita. Cùm ergò tot diverfis muniis inferviat, cùm aliundè omnes & diverfæ corporis partes augeri, enutriri, moveri, foveri indigeant ; num hinc in diverfis illis partibus fanguinis diverfitatem fas eft fubodorari ?

I I.

SANGUINIS nomine totam humorum maffam intelligas. In arteriis venifque præcipuè contentam reperies ; ut ut *homogeneitatem* fpecie referat, nimium ne crede colori. Corpufculis conftat non unius generis, fed variâ magnitudine, indole, motu præditis, cedentibus æquè ac refiftentibus, & comprimi docilibus, & refilire, expandique aptis. Hinc omnes humores fivè utiles, fivè inutiles. Hinc fanguinis diverfitatem repetas. Abfit enim ut ad hanc in diverfis corporis partibus aftruendam, in veterum verba jurare adftricti ad humorum alibilium quaternionem recurramus. Confenuit ille jamdiù. Corpus univerfum eft vas unicum diverfimodè contortum & inflexum. Num unius vafis reparationi unicus humor ? An verò fuccus nerveus, an pars gelatinofa fanguinis hoc adimpleto munere gloriari debeat, adhuc lis eft fub judice, nec illam hîc componere noftri eft inftituti. Abfit ut ad hanc exponendam mutationem aut quorumdam fyftematibus intricari nos patiamur, aut aliorum tenebris obvolvi ; procul hinc fermenta nullo innixa fundamento. Procul occultæ antiquorum qualitates, mera ignorantiæ velamina, quibus cæteris fucum facere confueverant. Multo meliùs & fentire & loqui docent recentiores. Horum veftigiis inhærentes folam Ducem fequamur naturam.

I I I.

INTEGRANTIUM liquidi partium figuram muta ; molem auge, imminue ; motum accelera, comprime ; cohæfionem ftringe, refera ; cæteras proprietates varia, adde, detrahe ; conjunge, diffocia ; fubige, elabora, permifce, dilue, infpice, jam non idem liquidum adeffe cenfebitur, quin & planè diverfum apparebit & erit. Hinc ad χυλώσεως, & αἱματώσεως, & omnium fecretionum intelligentiam quàm inutilia, quàm commenta fermenta, diverfi generis

cribra, humores analogi & alia hujus farinæ figmenta vel cæcus videt. Porro his mutationibus perpetuò obnoxium esse sanguinem quis nisi in physiologicis rebus planè hospes inficiàs ierit? Sanguinem dextri sinistrique cordis thalami curiosus introspice; illìc crudum, leviter confusum, diversicolorem, hîc subactum magis, magis permixtum, & rutilantem miraberis. Tanta est in mutando sanguine pulmonum vis & ἐνέργεια! neque tamen putes illis solis provinciam hanc à naturâ fuisse mandatam: hujus partem sibi vindicant cor & arteriæ, eòdem collimat motus in variis partibus varius, ipsa vasorum structura manus dat auxiliatrices, rectiùs dicam, tota machinæ compages in partem operis venire gestit. Ergò ubique sanguis mutatur in contactu particularum & in figuris harum. Ergò.... Sed hæc flocci facis? At sequentia non respues.

IV.

VIS igitur quid clarius? nec repulsam patieris. Supponantur omnes qui sanguinis massam constituunt humores æquales ad pondus, ut aiunt, vel ad justitiam: scilicet sit unius cujusque æqualis aut proportionata quantitas. Partem alicujus ex his humoribus deme, jam peribit illa æqualitas aut proportio in toto, sed factâ quâlibet secretione, sivè spirituum in cerebro & cerebello, sivè bilis in hepate, sive salivæ & succi pancreatici in diversis glandulis, sivè lactis in mammis, sivè urinæ in renibus, sivè transpiratorii humoris per universam cutim; tollitur reverâ hæc proportio aut æqualitas; ergo factâ quâlibet secretione jàm non idem adest sanguis. Sed quid his immoror temporis malè parcus? Segniùs irritant animum Demissa per aurem, quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus. Fides igitur penès oculos: arteriosum venosumquè sanguinem vel è longinquo respice: manus dabis invitus. In arteriis floridus sanguis, dives opum pabula cunctis laturus partibus saliens & quasi exultans progreditur, in venis obscurus, inops, æquali tranquilloquè pede redit novis restaurandus subsidiis.

V.

NEQUE putes hæc temerè aut fortuitò contingere. Ut natura utilium prodiga, sic inutilium parca. Varias perlustra corporis partes, ubique mutatum, sed ideò muniis adimplendis humoribusvè secernendis aptiorem sanguinem reperies. Ordinem si mutaveris, brevi tota dissolvetur machinæ compages. Hoc cùm tot exemplis confirmari possit, quot fiunt in corpore secre-

tiones, unum ſufficiat. Immenſum quot vaſa, quot artes inſumat, per quot orbes ambageſque circumagat, quantùm à ſolito circulationis ordine ſanguinem natura deducat, antequàm illi portarum venam ingredi fas ſit. Cùm alibi arteriæ, hîc vena materiam ſecernendam maximâ lymphæ ſuæ parte orbatam ſubminiſtrat. Quod àutem à ſanguine venoſo, atque ex omento, ventriculo, liene, pancreate, meſenterio & inteſtinis refuſo, neque ab arterioſo perinde ac ubique corporis fieri ſolet humorum ſecretio,ململ bilioſa materies ſegregetur, naturam hallucinantem incuſas? Hallucinaris ipſe. Sic in diverſis illis partibus immutatur ſanguis ut bilem faciliùs poſſit dimittere. Huic ſanguini arterioſum ſubſtitue, jam bilis deficiet, jam χυλῶσις non perficietur. Jam ergo totum corpus ſuo ſucco nutritio defraudabitur, motore orbabitur, jam ergò corruet. Idem dicendum de ſingulis ſecretionibus. Ergo non temerè nec fortuitò, ſed neceſſariò ſanguis immutatur. Quis nunc nobis refragabitur concludentibus.

Ergo non ubique corporis idem ſanguis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Laurentius Ferret, Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus.

M. Joannes Midy.

M. Joannes-Jacobus Belleteſte.

M. Michaël-Philippus Bouvart.

M. Michaël-Joſephus Majault.

M. Antonius Ferrein, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Profeſſor Regius, & Chirurgiæ Profeſſor deſignatus.

M. Hyacintus-Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.

M. Joannes-Franciſcus Couthier.

M. Joannes-Baptiſta Mougin, Medicus Regis ordinarius.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS BERNARD, Abrincenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.